

gregatio adjunctis suis observationibus confirmavit. In illis clare affirmatur auctoritas superiorum in omnes religiosos etiam in officio episcopi positos; Vicario autem Apostolico pro suo officiali quemquam religiosum sine licentia superioris assumere prohibetur;<sup>89</sup> item superioribus jus confirmatur parochos pro oportunitate removendi.<sup>90</sup>

Eidem huic episcopo, quando in electionem superiorum provinciae sese ingerere voluit, S. Congregatio rescripsit: »Orator acquiescat et se non immisceat in rebus fratrum«. <sup>91</sup>

Anno 1796 pro coadjutore episcopo Okić electus fuit fr. Gregorius de Vareš (Ilijić) <sup>92</sup> valde zelusus, magni ingenii, ferreae voluntatis, sed minus recti modi et prudentiae in negotiis exequendis. Ipse quoad parochias et parochos se gerere voluit sicut episcopus ordinarius in propria dioecesi cum clero saeculari. <sup>93</sup> In divisione parochiarum et novarum erectione absque consilio superiorum provinciae, quorum erat neoerectas clero et necessariis providere, procedere volebat; <sup>94</sup> immo clerum saecularem augere desideravit, quod tamen in cassum cessit. <sup>95</sup>

<sup>89</sup> »22. Non sarà permesso a monsignor vescovo senza la piena intelligenza del P. Provinciale, e vice versa sospendere i religiosi. 23. Non potrà ancora essere scelto alcuno di essi religiosi segretario, o vicario generale di monsignor vescovo senza la partecipazione ed annuenza del superiore della provincia«. Archivum Prop., Acta, 1837, v. 200, f. 253v.

<sup>90</sup> »Quoad parochos eorumque socios et cappellanos liceat ipsis per sexennium dumtaxat unam eandemque paroeciam retinere, data vero provinciali ejusque definitorio facultate nimirum vel illos ante praefatum sexennium amovendi, vel ultra id tempus adhuc detinendi, prout necessitas postulaverit«, Jelenić, Izvori, 61; Archivum Prop., Acta, 1787, v. 157, f. 370r—382v.

<sup>91</sup> Archivum Prop., Acta, 1787, v. 157, f. 529v—530r.

<sup>92</sup> Electus fuit die 19 Septembris 1796. Premrou, o. c. 584.

<sup>93</sup> Sic fratres lamentantur de suorum conculatione privilegiorum: »Noster autem Ordinarius modernus, his (id est fratrum juribus et privilegiis) minime attentis, sibi omnia quasi de jure arrogando, religiosos a quibusdam excludere adlaborat, ultro progrediendo«, vel sic: »praesumit tamen uti jure communi aliorum episcoporum similia praestantium suis dioecesanis«. Arch. Prov., Sarajevo, Prot. Prov. II, 180—184.

<sup>94</sup> De hac re infra ubi de crescente numero parochiarum.

<sup>95</sup> Batinić, Djelovanje franjeva, III, 175—176.